



**Gravia obsessa et expugnata armis Ordinum Belgicae
Confoederatae ab illustrissimo principe Mauritio
Arausionensium principe Nassauiae Comite, etc. anno 1602**

<https://hdl.handle.net/1874/291685>



GRAVIA
obsessa et expugnata
ARMIS
ORDINVM BELGICÆ
CONFÆDERATÆ
Ab Illustrissimo Principe
MAVRITIO
Arausioensi Principe
Nassau Comite, etc.
Anno 1602.



oppidanos & Principem Mauritium convenerit Septembris xix, tempore valde oportuno, cum auctis Mosæ aquis per Autumnum periculum non leve maneret fossas castrorum, & accessus. Egredi fuere praefidarii octingenti, & faucii quadringenti. Eodem mense inauguratus in Graviae haereditarium fuit Princeps Mauritius. Gubernator oppido datus Petrus Sidleniskius Baro, vigillum praefectus Mabufius. Miles se in hyberna recepit, equitatus Germanorum missionem ab Ordinibus impetravit & stipendia.



Obsidio & Expugnatio,

Anno MDCIV,

Per MAVRITIVM NASSAVIVM, &c.

Fœderatae Belgicae Exercitus Ducem, &c.



Obsidio.

GRAVIA oppidum anno c1o 1o LXXXVI in Hispanorum manus sub Duce Parmensi deditio-
ne pervenit, ignavia, uti tunc judicabatur, Praefecti, Domini de Hemert, qui culpam capite luit. Mansitque in hostium potestate ad

annum c1o 1o c11, quo tempore virtute invictissimi Principis Mauriti à Fœderatis fuit recuperatum, post duorum mensium obsidionem. Ejus historia hæc est: Mensis Julii die decimo octavo exercitus Fœderatorum omnis redux ab expeditione in Mendozam Arragoniæ Admirantem, ad Graviæ castra fecit. Mauritius stationem sibi delegit Orientale oppidi latus, Comes Guilielmus Nassovius Australe, Angli sub Verio Occidentale, jactis duobus pontibus, quibus insternebatur Mosæ. Circumvallata castra fuere ambitu satis laxo, ob adventum Ducis Aragoniæ, qui castra sua huc moverat. Primum victoria præmium fuit opus semilunare, quod ultra Mosam oppidani tutabantur. Castellis & turribus castrensisibus LX cingebantur castra, fossa adhæc insolita profunditatis. Oppido Gubernator erat Antonius Gonzalvus Hispanus, cui additus fuit Inigo Dotaiola expertæ militiæ. pro præfidiis erant Itali, Hispani & Germani, mille quingenti numero, præter cives. provisum urbi abunde à machinis, annona, omnique apparatu bellico. Promotis undique è stativis in urbem accessibus, erectis suggestibus in quibus machinæ, postque acres obsidentium & obsessorum pugnas, Ferdinandus Mendoza Arragonius una cum Comite Frederico Bergio aliisque exercitus Hispanici Ducibus, in ditionem Cuychanam militem duxit & castris Auriaci se admovit, ut non nisi quarta miliaris parte abesset. ponte Mosam stravit, advehendo commeatu. Oppidani conspectis suorum castris & propinquis auxiliis lari, gaudia tormentorum explosionibus testati sunt, quibus paria fecere, qui in subsidium venere Hispanienses. Eruptiones aliquot fecere obsessi in stationem Guilielmi Comitis Nassovii, uti & in illam Anglorum, sed repulsi fortiter fuere desideratis hinc inde centurionibus & gregariis aliquot. Minabatur nostris Arragonius, & se in armis subinde ostentabat, sed ostentabat tantum, nihil ultra ausus aut molitus. solum eminus castra

Principis machinarum ictibus infestabat. Occubere non milites solum strenui & fortes, verum etiam castrenses Architecti, Andreas Regius & Iacobus Sylvius ob industriam & operum castrensis peritiam Principi perchari. vulnerati fuere centuriones Meckerkius & Morganius, Hameltonio ex vulnere mortuo. Nec diu post Anglorum praefecto Francisco Veerio vulnerata cervix & maxilla fuit, è quo vulnere convaleuit. Arragonius in stationem Principis Mauriti impetum facturus, apportari secures, scalas, currus, ligones aliaque ad vim faciendam apta jusserat. Verum præmonitus Mauritius excito omni milite & exercitus sui robore in illud latus converso, eum terrorem hosti fecit, ut inglorius & nihil ausus abiret. Grobbendonckius Sylvaducis Gubernator, hortabatur Mendozam, ut castra in agro Ravesteinio locaret, quo facilior esset vectura annonæ. hac ratione posse impediri advectionem commeatus in castra Fœderatorum. Sed minus auscultans his consiliis Venloam movit, cui submisit Princeps Auriacus Equitatum, & Comitem Ernestum cum copiis aliquot, ne quid forte in Berkam aut Meursiam cœptaret. At ille cum Venloam subire non posset, in Trajectum ad Mosam se recepit, milite praesertim Italo, querulo & seditionem parante, ob non soluta stipendia. quamobrem plurimi Italarum ad Principem transfugere. Oppidani perculsi tristisque ob abitum Mendozæ, nihilominus, velut à desperatione, sumtis animis ferociter pugnare. Plurimi ex urbe transfugæ non annonam, nec arma, sed militem desiderari asseverabant. Interea appropinquatum mœnibus fuit. Suttonius protribunus Horatii Veerii Equitis semilunare opus invasit & obtinuit, ubi erecto suggestu machinis machinas hostiles feriebat, & in fossas explodebat. Etiam alterum semilunare opus ad portam Bergensem expugnare nostri, quam mox deserere coacti fuere casis Centurione Puiſio, capto Visio, centurione & procenturione Scridosii. Facta dein eruptio in Anglos, capto procenturione Caroli Morgani, quem mox procenturio Richardus hosti eripuit. Vbi stativa Mauriti erant, munitione omni exutis obsessis, duabus vineis itum fuit in loricam, inde in mœnium crepidinem. Tum revocato ad animum oppidanorum discrimine quos liberationis spes destituebat, deditioem rogare. Quare missus in urbem Sidleniskius fuit, qui eodem rem deduxit, ut missis in urbem obsidibus inter

Deditio
Graviae.

Gesta obsi-
dionis tem-
pore.